in locis penalibus angeli deputant. quasi bizaniorum fasciculos
ad comburendum ligant. PETRUS. Ad inquisitionem meam
satisfactione responsionis patuit causa rationis. Sed quid nam est queso
te, quod nonnulli quasi per errorem extrahuntur ex corpore. ita ut
facti exanimes redeant. et eorum quisque audire se dicat. quia
ipse non fuerit qui erat iussus educi. GREGORIUS. Hoc cum
fit petre si bene perpenditur. non error sed ammonitio est. Sup-
na enim pietas ex magna misericordie sue pietate disponit.
ut nonnulli etiam post exitum repente ad corpus redeant. et
tormenta inferni que audita non crediderant. saltim visa per-
timescant. Nam quidam illiricianus monachus. qui in hac
urbe mecum in monasterio vivebat. mihi narrare consueve-
rat. quia quodam tempore cum adhuc in heremo moraretur ag-
noverit. quod petrus quidam monachus. ex regione ortus
hiberie. qui ei in loco vaste solitudinis cum evasa nomine
inherebat. sicut ipso narrante didicerat. priusquam heremum
peteret. molestia corporis interveniente defunctus est. Sed
protinus corpori restitutus. inferni se supplicia atque innume-
ra loca flammarum vidisse testabatur. Qui etiam quosdam
huius seculi potentes. in eisdem flammis suspensos se vidisse
narravit. Qui cum iam deductus esset. ut illuc et ipse mer-
geretur. subito angelum corusci habitus apparuisse fate-
batur. qui eum in ignem mergi prohiberet. Cui etiam dixit. Regredere.
et qualiter post hec tibi vivendum sit cautissime attende.
Postquam vocem paulatim recalescentibus membris ab eterne mor-
tis somno evigilans. cuncta que circa illum fuerant gesta